

49, 121, GAUDIUM NATALE, 1.

Quod

PRIMUS EVANGELII GENETHLIACI APOSTOLUS,
COELESTIS CURIÆ LEGATUS,

OB NATUM PUERUM,
MUNDI SERVATOREM,

Pastoribus primùm Bethlehemiticis,
mox omni omninò detulit populo;

Anniversariis hisce Feriis,

piò mentis ardore renovandum,
quibusvis Christiani gregis cultoribus,

eosq; inter Lycei nostri civibus, S-A

ex officio, ex debito; S/yy.

proponit atq; propinat

M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P. P.



RIGÆ,

Typis HENRICI BESSEMESSERI.



Vemadmodum *θεοφάνεια* magnū
utiq; voluntati suggerit jubilum;
sic magnum pariter intellectui
miraculum. Sive enim nascentem
spectemus, Deus est, vili indutus
carne; sive parientem, paupercula
est, Omnipotentem, intemeratō
Virginitatis flore, enixa. Ut igitur
cœli terræq; Dominus cœlum uniat
terræ, hominem sibi, Virgo, nexu
prorsus stupendō, Hominem profert
& DEum. Bis idem ille geminæ
substantiæ gigas genitus, semel
ex immortalī Patre immortalis,
semel ex Matre mortali mortalis.
Fœmineo absq; partu, unicus
æterno extitit Patri, & absq;
virili congressu unicus Matri,
à semet creatæ, Filius. Profectò
vires supergreditur naturæ, ut
uterum ferat, quæ virum non tulit.
Putidum exinde & fabulosum,
quod nonnulli tradunt, argumentum
est, equas in Lusitania è vento
concipere, vulturibusq;, compare
destitutō, fecunditatem inesse
pariendi. Quamvis autem hæc
in brutis ita regnaret naturæ
facilitas, in perfectissimī tamen
animalis elaboratione major
omnīnō requiretur industria.
Hominem siquidem nunquam,
nisi homo, viribus ad id perficiendum
à Deo inditis, procreabit. Sine
certo quidem Patre, multi nascuntur
Partheniæ, sine ullo, nemo. Quamobrem
ὁμολογούμεως magnum pietatis audit
mysterium,
CHRIST-

CHRISTUM à Virgine absque virili prognatum esse semine. Verùm hæc ipsa fidei arcana aliò plenidie curâ vigili perspeximus, ut hîc ad Natalitia transire gaudia eò facilius atque promptius queamus. Nihil etenim in præsentî Senaculum decernit cœlestē, quàm gaudium. Gratia nihil æque novit divina, quàm gaudium. Uranius vix quicquam proponit præco, natale præter gaudium, & cœtus fidelium ubivis nihil nunc concinit aliud, quàm gaudium. Quin imo totus rerum ordo merum verumque intendit & effundit gaudium. Venit, io! venit salutare Dei, **IMMANUEL**, cunctis desideratus gentibus. Oriens ex alto nos visitavit. Apparuit, quem Regum Vatumq̄, haud pauci videre & attrectare oppidò expetivère. Prosiluit Redemptor, hostes humani generis penitus conterens. Fons hodie (ô benignitas!) liquidè profluit aquam vitæ scaturiens. Lux tenebras illustrans clarissimè splendorem spargit. Perruptor cœlorum pandens ostia gloriosè progreditur. Opulentissimus, sub imo paupertatis schemate, maximis nos accumulât divitiis. Totius orbis prosperitas feliciter nunc velociterque progeminat. En summam summi Numinis clementiam, dum, quotquot nos in hoc amphitheatro ludimus, à superna extorres patria, sibiq̄; inimicos, placidè suscipit, protegit, diligit: Atq̄; hæc omnia unâ solummodo nocte contingere, quâ Filius Dei Filius factus

Homi-

Hominis. Nam jure meritoq; eum decebat à tenebris ordiri vitam, cujus propudiosam mortem, ne videat, suum aliquando oculum sol ipse est averſatus. Ô nativitas, exclamat mellei oris Doct̃or, Bernhardus, honorabilis mundo, amabilis hominibus, collati magnitudine beneficii! Exultet proinde sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam. Animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Regi Philippo dies eluxit lætus & fortunatus, quò triplici delibutus gaudio, quadrigas suas Olympia vicisse, Parmenionem ducem hostes fudisse, natumq; sibi Alexandrum filium accepit. Quid de Servatoris nostri dicemus natali, quem infinitis lætiores modis prosperioresq; sanctè, ceu decet, & submissè veneramur? Præterquam enim, quod sexcentis tum nos maſtaverit benefactis, inter alia quoq; triplici non minus gaudio affecit. Quippe non in Olympico quidem & ludicro; at hoc multum acerbiore, Stygio nempe, certamine, divinis quasi potentiæ, justitiæ, veritatis & sapientiæ quadrigis, ab ipso cepit natali suo pugnare & vincere. Accedit, quod haud per quemdam suorum, ut ille, ducum; sed omnipotenti dextrâ Acherontem, cum assecis omnibus, validissimè prostraverit. Neque unum duntaxat, verum longè plures accepit filios, verâ in ipsum fide credentes. Quod si Syracusani lucem celebrabant annuam, quam fortissimus

mus dux, Timoleon, vitæ suæ principem habue-
rat, quoniam præclaras eò ipsis dederit die victori-
as: **Quantò nos magis augusta CHRISTI Gene-**
thlia summis efferre laudibus oportet, quod maxi-
mæ is omnium ac saluberrimæ auctor victoriæ exi-
stat? Nonne nostrarum igitur erit partium, ineffa-
bili incalescere lætitiâ, illumque ipsum diem plau-
su & júbilo exigere, quò spes & res perditâ recupe-
rata est? Valeant Epicuræi, qui Præceptoris sui
natalitia in annulis, in scyphis, ac passim in tricliniis
exprimebant, ne eorundem unquam excidat men-
te, cujus meminisse assiduè volebant. Nos diem
majori utique jure genitalem meritisimi Sapientiæ
Doctoris nostri, JESU CHRISTI, in oculis atque
pectoribus feramus cotidie, ut dulcissima ejus me-
moria in omni apud nos vigeat floreatque æterni-
tate. Facescant pariter Pagani, sua circa hoc tem-
pus Saturnalia & Opalia repetentes, ut lautissimis
lætissimisque se invicem epulis atque poculis exci-
perent. Noster hodie cibus erit mysteria Domi-
ni, subductâ ratione, religiosè indagare, inque
Ejus benignitate palam exultare & tripudiare. Au-
diamus magnum illud ab Angelo pronunciatum,
cœloque ad nos miserandos homunculos delatum
gaudium. ô verè magnum! ô verè beatum, quod
ad omnes se extendit mortales, nullumque in hoc
nec futuro invenit seculo terminum! Munda-
num

num si cogitas, vagum est, vanum est, celerrimeq;
unà cum suo transit possessore. Pellæo quondam
juveni, cui unus vix suffecit orbis, duodecennale
suffecit gaudium. Cervi ejus diutius gaudebant,
quorum aliqui, trecentis pòst annis capti, Domi-
ni sui signa & monilia retinere deprehendebantur.
Quamobrem ad meliora respiciamus gaudia, qui-
cunque in terræ subsistimus pulvere. Sordescat
mundus, qui nobis victus: Vilescat caro, quoti-
die crucifigenda: Displiceant tenebræ, quas lux
vera dispulit. CHRISTUS hodie nascitur, glorie-
mur! CHRISTUS ex Cœlis, occurramus!
CHRISTUS super terram, exaltemur! Hodie
nobis æternus Pater maximum in Filio, Ejusque
miraculosa nativitate destinavit gaudium, dum o-
mnes benivoli cordis plenos paternæ gratiæ thesau-
ros super nos effudit. In his dignum est, nos ere-
ctis sursum cordibus divinum adorare mysterium,
ut, quod magno DEi munere agitur, magnis Ec-
clesiæ gaudiis undique celebretur. Huic proinde
recens nato Numini non pultem, non fritillum,
non merum, non liba, aut his similia, queis Geni-
um natali placabant veteres; sed multò his svaviora
odorama, integram nempe fidei vitæque sancti-
moniam supplices offeramus. Munera, quæ, feriis
hisce, in cunis vagienti DEo mittemus, natalitia, non
sint Sardonyche, nec phiala, nec Phidiaci toreuma
cœli;

cœli; sed sanctis vermiculata desiderii anima, sed
 piâ variegatum devotione pectus. Æschinis hac in
 parte sequamur exemplum, qui cùm non haberet,
 quò magistri sui, Socratis, operam compensaret, se-
 metipsum illi offerebat, ejus promptissimè factu-
 rus imperata. Certè tanta Servatoris in nos omnes
 singulosque merita sunt, ut dignas persolvere gra-
 tias minimè valeamus. Quocirca corpus animam-
 que Ei in perpetuum dicemus, cor fidele, oculum
 simplicem, aurem arrectam, linguam laudis Ipsius
 enarrandæ cupidam, manus puras, pedesque ad ob-
 eunda vocationis munia celeres. Hoc ergo facite,
 Cives *Χριστιανοί*, & probè simul attendite, ut in vo-
 bis nascatur, qui hodie nascitur DEus. Pronis in
 eum finem accipite aures, quæ divini Præcones, ex
 ore Angelico, vobis ingerunt gaudia. Hanc cœlestis
 caritatis tesferam, hoc incomparabile æternæ salutis
 beneficium, ritè recolite, ut non mens solùm vestra,
 sed crasum quoq; hoc & grave corpus istius consors
 fiat lætitiæ: Pias porrò huic DEi Hominumque se-
 questro laudes sobrii lætiq; exsolvite. Pro Patriæ
 fideliumque omnium incolumitate calidas subinde
 preces fundite. Luxum, socordiam, rixas, imo vete-
 rem deponite hominem, ut novus cum novo nato
 exsurgat Redemptore. Ita æternùm gaudebitis.
 Dabam Rigæ Livon. ipsis Vigiliis partus *θεανθρώπου*
 An. CIO ICCLXXXI.

